



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. II. Quænam sit materia Baptismi?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

distinguendo Majorem: Præceptum Baptismi non potuit obligare ante sui promulgationem, sufficientem ad rationem legis, concedo. Ante sui promulgationem, sufficientem ad tollendam ignorantiam ejus, & ad reddendum inexcusabilem ab ejus transgressione, nego. Similiter distinguo Minorem: Ante Pentecosten non fuit sufficienter promulgatum præceptum Baptismi, sufficienti ad tollendam ejus ignorantiam, concedo. Sufficienti ad rationem legis, nego. Tunc enim præceptum superioris incipit habere vim legis, potentis obligare subditos, quando superior ipsum exterius per modum imperij proponit tanquam princeps, aut publica persona: Christus autem ipsa die Resurrectionis præceptum Baptismi ita proposuit, dicendo Discipulis: *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos &c.* Unde à die Resurrectionis cæpit habere vim legis ex se obligantis, quamvis hæc promulgatio non sufficeret ad tollendam ignorantiam illius, nec proinde ad reddendum homines inexcusabiles ab ejus transgressione. Et per hoc patet ad primam probationem Minoris: ex eo enim quod Apostoli usque ac Pentecosten non prædicaverint publice Evangelium, solum habetur quod ante illud tempus præceptum Baptismi non innotuerit mundo, non verò quod nondum habuerit vim legis & præcepti.

Ad secundam dico, eam quidem veram esse de promulgatione necessaria ad tollendam ignorantiam legis Evangelicæ, falsam tamen de promulgatione necessaria & sufficienti ad rationem legis; tunc enim Baptismus debuit habere vim legis & præcepti, quando cæpit habere suam perfectionem & virtutem, quod fuit à die Resurrectionis Dominicæ.

Ad tertiam probationem dico legem Moysicam promulgatione sufficienti ad rationem legis fuisse promulgatam ab eo tempore quo Deus eam dedit Moyli in monte Sina, tunc enim locutus est Deus ut princeps & legislator, subindeque ex eo tempore præcepta illius legis lata à Deo vim legis habuerunt, adeò ut ipsius prædicatio facta deinde à Moyse toti populo, non habuerit vim promulgationis necessariæ ad essentiam legis, sed tantum declarationis, ne homines ignorantiam ab ejus obligatione excusari possent: quare licet promulgatio illa legis antiquæ facta per Moysen, fuerit figura promulgationis legis Evangelicæ, faciendæ per Apostolos in die Pentecostes, hinc tamen non fit istam fuisse necessariam ad rationem legis Evangelicæ, sed tantum ad tollendam ignorantiam ipsius.

50. Dices, Si statim post Christi Resurrectionem, & ante publicationem Evangelij, à die Pentecostes inchoatam, Baptismus fuit in præcepto, Judæi ipsum invincibiliter ignorantes caruerunt remedio peccati originalis pro suis parvulis; quandoquidem in illa hypothese circumcisio non habuit amplius vim justificandi, seu delendi peccatum originale: Sed hoc non decebat divinam bonitatem: Ergo &c.

51. Respondent aliqui quos sequitur Vazquez, concedendo sequelam, non enim majus inconveniens reputant admittere quod toto illo tempore medio à Christi resurrectione, usque ad divulgatum Evangelium, pueri Judæorum & Gentilium caruerint remedio peccati originalis, quam infantes modò intra viscera matrum morientes, & illi qui nascuntur ex parentibus infidelibus, ad quos non pervenit prædicatio Evangelij Verum quia

A hæc doctrina nimis rigida & dura videtur, dum, tempore illo medio, parvulos recipientes circumcissionem, vel remedium legis veteris liberatos; divinam namque bonitatem debeat utto illo tempore quo sustinuit legem Moysicam, non auferret, saltem pro parvulis tunc existentibus, ejus utilitatem.

ARTICVLVS II.

Quenam sit materia Baptismi?

Duplex solet distingui materia in sacramentis quæ constituent in usu rei sensibilis, rem scilicet & proxima: prima est res illa sensibilis quæ in signum & causam gratiæ assumitur, secunda verò est usus seu applicatio ipsius. De utraque agendum est in præfati, & breviter explicandum, quanam sit materia remota & proxima Baptismi.

§. I.

Duplici conclusione utraque difficultas resolvitur.

Dico primò: Materia remota Baptismi est aqua vera & naturalis.

Conclusio est certa de fide, & definita in Florentino in decreto unionis, ubi aquam veram & naturalem assignat pro Baptismi materia, & in Tridentino sess. 4. can. 2. de Baptismo, ubi sic habetur: *Si quis dixerit aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque idcirco illa Domini nostri Jesu Christi (Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto) ad metamorphosin quam detorserit, anathema sit.* Quibus verbis Concilium errorem Calvinii proferbit, qui sic verba illa Christi metaphoricè intelligi vult, ut per gratiam designetur, nec aliud intelligatur, quam per gratiam à Spiritu Sancto infusam, hominem spiritualiter regenerari. Proscribitur etiam in verbis error Seleucianorum & Jacobitarum, qui verba Joannis Baptiste de Christo, *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne*, pessime interpretantes, dicebant materiam Baptismi non esse aquam, sed ignem, unde ad baptizandos pueros, addidit nem quendam in fronte velingenis eorum imponebant. Damnatur pariter his Conciliorum definitionibus error Flagellantium, qui dicebant Baptismum aquæ suo tempore cessasse, & seque in mundum missos jussu Dei, ut se flagellarent, litteras ad hoc de cælo Romam missis, & super altare 12 Apostoli Petri repertis.

Potest etiam probari nostra conclusio variis Scripturæ testimoniis, quibus manifestè apparet, & elementaris, materia Baptismi designari. Nam Actuum 8. Philippus baptizavit Eunuchum Candacis Reginae Æthiopum, aqua elementari. Et cap. 10. Petrus jussit Cornelium & alios qui ipsum Dei jussu convenerant, baptizari in aqua elementari, his verbis: *Nuncquid aquam queritis habere potest, ut non baptizentur hi qui Spiritum Sanctum acceperunt, sicut & nos?* Et jussit eos baptizari. Idem significat Apostolus ad Ephes. 5. ubi ait Christum tradidisse seipsum pro Ecclesia, ut eam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ, in verbo vite. Quasi per verbum vite significando formam Baptismi, quæ vivificis verbis conficitur, & per lavacrum aquæ, materiam ejus designando, quæ in hoc solo elemento consistit.

Non desunt etiam congruentiæ, quas D. Tho. 2. 2. q. 84. art. 1. adducit.

mas hic art. 3. adducit, & desinit præcipue ex quatuor vel quinque qualitatibus aquæ elementaris: nimirum perspicuitate, munditiâ, frigiditate, fecunditate, & communitate, seu abundantia. In primis ergo conveniens fuit Baptismi in aqua elementari fieri, quia illa propter transparentiam habet aliquid de lumine, seu de perspicuitate luminis, & propterea convenit sacramento Baptismi, quod habet vim illuminativam, secundum quod in eo confertur gratia, quæ est illuminativa mentis, vel etiam quia Baptismus est sacramentum fidei, ut illum vocant Patres, quatenus fide quam in Baptismo profitemur, illuminantur corda nostra, ut ait Catechismus Romanus parte 2. cap. 2. numer. 4. ex Augustino Epistolâ 13. & ex aliis.

Secundò congruum fuit aquam elementarem pro materia Baptismi designari, ratione munditiæ & puritatis: sicut enim aqua carnis fordes emundat, ita Baptismus habet virtutem ab omnibus culpe sordibus animam mundandi. Unde Hugo Victorinus libro 2. de sacramentis parte 6. cap. 14. In solo elemento aqua sacramentum Baptismi conferri institutum est, quia hæc sola plenam habet ac perfectam mundationem. Alij liquores omnes aquâ purificantur, & si quid alio quolibet liquore tactum fuerit, aquâ abluitur, ut emundetur; propterea in sola aqua sacramentum emundationis consistit.

Tertiò, ratione frigiditatis: nam quemadmodum aqua refrigerandis corporibus aptissima est, sic Baptismo cupiditatum ardor magna ex parte resinguitur, inquit Catechismus Romanus ibi supra nom. 10. Hinc Baptismus, abjectionem carnis, quidam ex veteribus vocant, non quod fordes corporis abiciat, sed carnales appetitus & passionem aliquatenus mitiget ac reprimat.

Quartò, ratione fecunditatis, nam aqua maxime competit generationi rerum viventium, unde in principio mundi ex aqua primitus alia sunt producta, secundum illud Genes. 1. Producent aqua reptile animæ viventis, & volucres super terram sub firmamento caeli &c. ad idemque referri solet quod Spiritus Dei ferebatur super aquas: vel (ut alij vertunt) incubabat aquis, quasi fecunditatem illis tribuens & virtutem alia generandi, pisces nimirum & volucres. Hinc Poëta Oceanum & Thetis omnium rerum principium fixerunt, & Thales apud Aristotelem 1. metaphys. cap. 3. aquam omnium rerum principium, & primam animam esse dixit. Congruum ergo fuit illam assumi pro materia Baptismi, qui est regeneratio in spiritualem vitam, ut sicut virtute aquæ confertur vita corporalis generatio, ita virtute aquæ Baptismalis conferatur vita spiritualis baptizato, si agnè suscipiat Baptismus. Unde in Prosa de Spiritu Sancto, canit Ecclesia: Tu super aquas, futurus es, numen tuum expandisti, Spiritus. Tu animabus vivificandis aquas fecundas. Et in benedictione fontis baptismalis dicitur: Deus cuius Spiritus in primordio mundi super faciem abyssi ferebatur, ut regenerandi virtutem aquarum natura conciperet. Hinc etiam Tertullianus libro de Baptismo cap. 1. Christianos pisciculos appellat, quia nimirum sicut pisces in aquis elementaribus corporaliter generantur, ista Christiani in fonte baptismatis spiritualiter regenerantur: Nos pisciculi (inquit) in aqua nascimur, nec aliter quam in aqua permanendo salvi sumus.

Denique, aqua, ratione suæ communitatis & abundantie, est conveniens materia sacramenti

A Baptismi, cum enim illud omnibus ad salutem necessarium sit, congruum est ut in materia valde communi, & quæ de facili reperiri possit exhibeatur. Neque alludere videtur D. Petrus Actor. 10. dum ait: Nunquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi? &c.

Has congruentias breviter expressit Petrus de Tarantasia seu Innocentius V. in 4. dist. 3. circa 3. problema art. 3. in corp. ubi sic discurre. Aqua elementaris est materia sacramenti Baptismi, duplici ratione, scilicet ratione effectus, & ratione usus. Primò ratione effectus, quia ex ipsa conditione naturæ suæ representat effectus in Baptismo collatus: quod patet, quia est elementum naturaliter diaphanum, humidum & frigidum; ex quorum primo significatur illuminatio gratiæ; ex secundo, ablutio culpe; ex tertio, mitigatio concupiscentiæ. Secundo aqua elementaris est materia Baptismi, ratione usus: nam talis aqua in suo usu habet utilitatem, communitatem, facilitatem; propter quæ tria conveniunt sacramento Baptismi, quod est maxime utile in effectu, & facile in observantia, & commune in necessitate. Id est omnibus communiter necessarium.

Hinc apud SS. Patres variæ aquarum laudes, 59. quas in Pantheologia, titulo de Baptismo, cap. 2. §. 2. concessit Raynerius: Sed inter ceteros audiendus est Tertullianus libro citato de Baptismo cap. 3. ubi expendens verba illa Moysis Genes. 1. In principio creavit Deus caelum & terram. Terra autem erat inanis & vacua, & tenebre erant super faciem abyssi, & Spiritus Dei ferebatur super aquas, lubdit: Habes homo in primis etatem venerari aquarum, quod antiqua substantia, dehinc dignationem, quod Divini Spiritus sedes, gratior scilicet ceteris tunc elementis: nam & tenebra tota adhuc sine cultu siderum informes, & tristis abyssus, & terra imparata, & caelum rude: solus liquor semper materia perfecta, lata, simplex, de suo pura, dignum Deo vestaculum subiebat.

Et cap. 9. Quot igitur patrocinia natura, quot privilegia gratiæ, quot solemnia disciplina, figura, præfigurationes, preces, religionem aquæ ordinaverunt? Primò quidem cum populus de Egypto liberè expeditus, vim Regis Egypti aquam transgressus evadit, ipsum Regem cum totis copiis aqua extinxit. Quæ figura manifestior in Baptismi sacramento? Liberantur de seculo nationes, per quam scilicet, & Diabolum dominatorem pristinum in aqua oppressum derelinquunt. Item aqua de amaritudinis vitio in usum commodum suavitatis Moysi ligno remediatur, Lignum illud erat Christus, venenata & amara retro natura venas, in saluberrimas aquas (Baptismi scilicet) ex sese remediatis. Hæc est aqua quæ de comite petra populo defluebat. Si enim petra Christus, sine dubio aqua in Christo Baptismus videmus benedici.

Et mox ad novi testamenti exempla pergens, ex Christo ipso repetita: Quanta (inquit) aqua gratiæ penes Deum & Christum ejus est, ad Baptismi confirmationem. Nunquam sine aqua Christus, siquidem & ipse aqua tingitur (seu tingitur.) Prima rudimenta potestatis suæ vocatus ad nuptias aqua aspicatur. Cum sermonem facit, sitientes ad aquam suam invitat sempiternam. Cum de agape docet (seu convivio charitatis) aqua calicem fratri oblatum inter opera dilectionis probat. Apud puteum vires resumit, super aquam incedit, libenter transfretat, aquam discipulis (id est discipulis) ministrat: perseverat testimonium Baptismi usque ad passionem: cum deditur ad crucem,

aqua

Iudeorum suscepisse Baptismum, quod per effusionem aquae super caput singulorum, aut singulorum immersionem difficile fieri potuit, facile verò per asperisionem, quia unicuique aut paucis saltem asperisionibus omnes baptizari poterunt.

67. Monet tamen D. Thomas art. 7. tutius esse baptizare per immersionem, quam per asperisionem, aut effusionem, siquidem esse baptizandum sub pena peccati, nisi aliud postulet necessitas aut honestas. Verum ita loquitur S. Doctor, quia adhuc temporibus ipsius non erat immutatus in Ecclesia ritus baptizandi per immersionem, unde peccasset tunc qui aliter, seclusa necessitate, baptizasset, utpote recedens in re gravi ab Ecclesiae consuetudine. Sed modò consuetudo illa est ab Ecclesia rejecta, sicut auctoritate Ecclesiae fuerat introducta, & solet ubique Baptismus conferri per effusionem aquae super caput baptizandi. Cœpit autem hæc consuetudo propter infantium tenebrarum, cum modò rarissimus sit adultorum Baptismus, qui posset immersionem sufferre.

68. Ex his collige, quod quamvis fuerit olim consuetudo baptizandi per trinam immersionem, nunquam tamen trina immersio fuit de necessitate Baptismi, sed unica fuit sufficiens, ut patet ex allata responsione Gregorii, quæ uterque baptizandi modus, in una scilicet vel trina immersione, probatur.

69. Dices ex Pelagio Papa in Epist. ad Gaudentium, utrefertur de consecratione dist. 4. Can. Multi: *Evangelicum præceptum ipso Deo & Salvatore nostro Iesu Christo dicente & tradente nos admonet, in nomine Trinitatis, trinam etiam immersionem, sanctum Baptisma unicuique tribuere.* Et ex Canonibus Apostolorum, ut habetur eadem dist. Can. Si quis: *Si quis Presbyter aut Episcopus non trinam immersionem unius mysterii celebret, sed semel mergam Baptismate, quod dari à quibusdam jubetur in morte Domini, deponatur.*

70. Respondeo ad primum eum D. Thomas hic art. 8. Summuti illum Pontificem, per se & directè solum definire, invocationem Trinitatis esse de substantia Baptismi; quia tamen illo tempore invocatione illa fieri solebat trinâ immersione, idè utramque conjunxit, quamvis non sit æqualis utriusque necessitas.

71. Ad secundum dicendum antiquitùs fuisse præceptum Ecclesiasticum, seclusa necessitate, baptizandi trinâ mersione, quod qui fuisset transgressus, jubetur in citato canone deponi: modò verò præceptum illud abrogatum esse per contrariam consuetudinem.

72. Nec obstat quod quidam SS. Patres, ut Hieronymus adversus Luciferianos, Tertullianus libro de corona militis, & alii, ritum Baptismi trinâ immersione numerent inter traditiones non scriptas. Licet enim traditiones divinæ sint invariabiles omnino ab auctoritate humana, secus verò traditiones humane, cum non aliam vim habeant, quam juris humani Ecclesiastici, quod pro temporum varietate sæpe mutari necesse est: ritus autem ille baptizandi trinâ mersione, vocatur à prædictis Patribus traditio, non divinâ, sed humanâ auctoritate introducta.

73. Inferes sextò, quod quando ablutio fit per immersionem, emersio non est necessaria ad valorem Baptismi: unde qui puerum projiceret in puteum, animo ipsum baptizandi & suffocandi, si veram formam Baptismi proferret, antequam puer suffocaretur, verè ipsum baptizaret: in illo

Tom. V.

A enim casu esset vera ablutio, subindeque vera materia proxima Baptismi. Nec termini immersionis & emersionis sunt semper correlativi, nam quando piscis, qui nascitur in aqua, exit foras, dicitur emergere ex aqua, licet non præcesserit immersio.

Dices Baptismus est signum sepulture & resurrectionis Christi, juxta illud ad Colossenses 2. *Consepulti Baptismo ei in quo & resurrexistis, per fidem operationis Dei, qui eum suscitavit à mortuis.* Sed hæc significatio & repræsentatio non potest fieri nisi per immersionem, cui succedit emersio: Ergo Baptismus collatus per immersionem, non est validus, nisi immersioni succedat emersio.

B Respondeo concessa Majori, negando Minorem; Baptismus enim est figura mortis & resurrectionis Christi, in quantum per illum morimur peccatis, & ad gratiam resurgimus; quod totum significari potest per solam immersionem, utpote quæ est vera ablutio, atque aded significat emundationem à peccato, & ex consequenti gratiam, sine qua nec fieri nec concipi potest.

74. Inferes septimò, ad Baptismum non esse necessarium totum corpus ablui, sed satis esse si abluitur pars aliqua principalis, & sufficiens, ut totus homo moraliter denominari possit baptizatus, quamvis caput sit semper abluendum, si commodè fieri possit, quia est pars potissima, in qua vigent omnes sensus: quapropter qui extra necessitatis articulum, relicto capite, aliam partem ablueret, peccaret mortaliter, quia in re gravi contra communem Ecclesiae consuetudinem ageret. In casu autem quod absque periculo gravis nocuementi caput ablui non posset, sufficeret ablutio in pectore, aut in scapulis; vel si istæ partes etiam commodè ablui non possent, in aliqua parte integrali, quæ sit tanta, ut sine ea anima in corpore conservari non possit. De aliis partibus jure dubitant Theologi, an in eis sufficiat ablutio, subindeque num puer ablutus solum in pede extracto ex utero vel in manu, aut brachio rebaptizandus sit sub conditione? quamvis in periculo mortis debeat quæcumque pars infantis emergens ex utero baptizari, quia cum non sit omnino certum, quamlibet partem infantis ablutam non sufficere, satius est in tali dubio exponere sacramentum periculo nullitatis, quam animam æternæ damnationi expositam, probabili remedio destitutam relinquere.

ARTICULUS III.

Quanam sit forma Baptismi?

Dico primò: Hæc est conveniens forma Baptismi: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ita definitur in Florentino in decreto unionis, & in Tridentino sess. 7. can. 4. & colligitur ex verbis Christi Matthæi 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

In hac Baptismi forma in primis particula *Ego* non est necessario, quia Ecclesia approbat Baptisma Græcorum in hac forma, *Baptizetur servus Christi &c.* In qua formaliter non exprimitur persona ministri: hoc enim termino *Baptizetur*, non intendunt Græci explicare actionem baptizandi ut egreditur à ministro, sed tantum prout est à causa principali, ad vitandum errorem eorum qui virtutem Baptismi attribuebant baptizan-